



**H**einricus filius fuit Heinrici primi Cæsaris, et  
 frater Ottonis magni. Mater Mathyldis hūc  
 Heinricum plurimū amauit, propterea quod is  
 uultu patri esset quam similimus. Itaq; ab Ottone  
 filio impetravit, ut Heinricum fratrem, cum quo si  
 multates aliquandiu fuerāt, in gratiam reciperet,  
 atq; ducem Boiarie constitueret. Cum enim Ber-  
 tholdus filius Arnolphi ducis Boiorum obiesset,  
 atq; Heinricus eius sororem Iuditham uxorem ha-  
 beret, factum est ut ob certas causas fratribus Ber-  
 tholdi reiectis ducatus ille à Frācis ad Saxones pri-  
 mō trāsferreretur. ab eo tēpore Heinricus dux fra-  
 tri suo fideliter adhæsit, atq; plurima bella cū eo  
 fœliciter perfecit. Eadem tempestate Toxus Vngariæ rex audita morte Ber-  
 tholdi duobus exercitibus Boiariam intravit, & limitem Austriacam & Car-  
 nos uastauit. Itaq; Heinricus hosti obuiā processit, atq; bis armis cum eo con-  
 gressus superior extitit. Gens illa hisce prælijs adeò attrita fuit, ut posthac ad  
 tempus non ausa fuerit Boios bello lacerare. Hinc dux Heinricus & Ratho  
 copiarum præfectus, in monumētum tantæ uictoriæ cœlitus datæ, armati e-  
 quis insidentes, è gypso facti & igne indurati, in templo D. Virginis apud  
 Maurkirchen positi, anno 948, ubi etiamnum conspicuntur.